mera cardinalis vel epi.sꝫ Pa.hec dicta nō admit
tit idistincte.qđ.n.si eps precedēs aliqđ castruꝫ per
aliū detētū ptinere ad ecclesiā suā scripsit in aliquo
lib.ecclesie:ꝛ successiue multis tēporib^9 ille liber fuit
detētus i camera epi diceemus ne q̄ probabit domi
niū castri cū grauissimo pīudicio possessoris.ↄ.c.in
ter dilectos:de fi.istru.vbi nō credif ātiqssimis pri/
uilegijs ecclesie si sigilla sunt ↄsūpta aut alias enor
mē fracturā patiuntur.pōt ergo dici q̄ aut agif de
nullo preiudicio ꝛ tunc scripture libroꝝ antiquoꝝ
vel scripture lapidū faciūt fidē qr tūc sufficiūt ꝓba/
tiones non plene.pone ex^m si dubitať an ecclesia sit
ↄsecrata.vel isans baptiȝat^9.vel sic.Idē puto vbi
factū ē antiquissimū ꝛ agif de modico preiudicio.
ar.optimū ex.d.tex.adaudiētiā ꝛ pōt dici expssiuꝫ
nō.n.tm̄ dicaf ibi de libris repertis sub custodia pu
blica ꝛ fideli.sꝫ idistincte p libros antiquos.qr cum
agaf de modico pīudicio nec verisef itereē bursale
nō est verisile q̄ qs scripsisset falsuꝫ.vel q̄ ista scri/
ptura tāto tēpore fuisse tollerata.si nō ↄtinuisset ve
ritatē.qñ vero agif de magno pīudicio ꝛ tūc aut ē
talis liber vel scriptura cui ab ātiqs cōiter creditū
est vel repif i loco vbi solū reseruātur scripture au/
tētice ꝛ faciūt plenā fidē de quo ē tex.i.d.c.ad au/
dientiā.Ex his pōt iferri q̄ istis libris historialib^9
seu cronicis qbus a maioribus nostris fides cōiter
adhibita ē credere debemus vt nō Bar.in.l.i.ff.si
cer.pe.hinc etiā eē q̄ dicta Aris.Ypocratis ꝛ simi
fidē faciūt qr cōiter i oibus studijs recepta sunt.Idē
de lib.feudoꝝ put nō Pau.i.c.i.de feu.Aut ē talis
liber seu scriptura cui cōiter a maiorib^9 nostris cre/
ditū nō est.nec repitur i loco vbi seruātur scripture
autētice:ꝛ talis liber seu scriptura facit adminiculū
seu psumptionē.nō aūt plenā ꝓbationē hoc ꝓbaf a
ↄrio i.d.c.ad audiētiā:ꝛ fuit de mente Inno.super
secu de ↄse.eccl.Itē dicit glo.i.d.c.cū clꝫ q̄ credif
istrumēto ꝓducto ex archiuo publico ꝛ ē archiuum
locus i quo reponūť scripture publice ꝛ sm Pa.p
hoc dicto facit.d.c.ad audiētiā.Itē dicit glo.q̄ cre
dif scripture sculpte i aliqua colūna vel lapide.Pa.
hoc itelligit i nō tēdētibus i alicuius pīudicio.Naꝫ
aliqñ faciūt plenā fidē aliqñ adminiculātur sm q̄li
tatē loci vbi reperiūtur ꝛ sm qualitatē pīudicij:vi
de i.l.monumētū.C.de reli.ꝛ su.vbi dř q̄ scripture
monumētoꝝ seu sepulcri minime ꝓbāt ꝓprietatem
ipsius glo.etiaꝫ ibi colligit q̄ adminiculāt ēt si non
plene ꝓbāt.coadunata tm̄ faciūt plenas ꝓbatiōes p
illud q̄ si nō ꝓsūt oia singula.multa iuuāt b Pa.

¶ An aūt hoc sit verū idistincte vt ꝓbatiōes ipfecte 2
ↄiūgātur ad faciēdā plenā ꝓbationē vř.n.q̄ non:
nā singulares testes nihil ꝓbāt.vt i.c.lꝫ:de proba.ꝛ
multa ipfecta nō faciūt vnū ꝑfectū.vt i.c.quorūdā:
cū glo.23.di.Solutio.aut ꝓbatiōes diuerse tendunt

ad vnũ aut ad diuersa. ꝓ casu sunt ꝯmissabiles ⁊ sic
sunt sufficiẽtes ad iudicis aiũ iducẽdũ ad plenam
credulitatẽ. inducũt etiã plenã ꝓbationẽ ⁊ hoc pro
cedit siue sint eiusdẽ generis siue diuersi. vt vnus te/
stis cũ fama iuxta nõ i. c. i. de ap. Jdẽ dic i aliis pre
sumptiõibus ⁊ adminiculis cuz vno teste de visu ⁊
pluribus de credulitate probãt. 2° vero casu cũ tẽdũt
ad diuersa tũc nõ sunt cõmissabiles exẽplũ i plurib⁹
testibus singularibus. Jdẽ videt̃ si aliqui testes de/
ponãt de mutuo. sʒ nõ ꝑfecte. aliqui de cõfessiõe mu
tui: ⁊ nõ ꝑfecte: ⁊ nõ cõiungũtur ad faciendã plenã
probationẽ q: mutuũ ⁊ ꝯfessio sunt diuersa nec ten/
dunt ad vnũ votũ faciẽdũ cũ sepe fit vnũ sine alio.
Si vero tendũt ad vnũ ⁊ iter se ꝯtrariãtur tũc minuũt
scilicet ⁊ aliquãdo destruũt.

3 ¶ An priuata scriptura q̃ scribitur iter ꝑsentes que
vocat̃ apocha: cedula: seu apodixia: faciat fidẽ. R̷.
sm̃ Pa. i. c. 2°. de fi. istru. vbi ꝯcludit q̄ si talis apo/
dixia hʒ subscriptionẽ partiũ ⁊ testiũ tũc facit fidẽ.
secus autẽ si tñ habeat subscriptionẽ partiũ aut te/
stiũ aut nullũ istoꝝ: nec ẽ nec' sm̃ Bar. i. l. cũ taber
nã. §. idẽ q̃siuit. ff. de pigno. q̄ ponat diẽ vel annũ
vel locũ: ⁊c. limitat Pa. qñ agitur ex solo ꝑiudicio
scribẽtis: ⁊ corruit istrumẽtũ si testes i scriptis decesse
rint nisi sigillũ habeat autẽticũ vel a notario sit cõ
fectũ ⁊ sic oĩs scriptura publica ẽ autẽtica: nõ tñ oĩs
autẽtica ẽ publica q: sigillata. vt dictũ est: autẽtica
est: ⁊ non publica: sm̃ Pa. vbi. s. q̃siuis. d. Anto. te
neat ꝯ: ⁊ hʒ Pa. sufficiat sigillũ priuatũ ꝯhẽtis dũ/
mõ sit certũ vt puta q: hʒ certos caracteres vel lr̃as:
nec valet exẽplũ nisi sit solẽniter sumptũ. Publica ẽ
q̃ facta ẽ a notario cũ solẽnitatibus requisitis. s. ꝑ. vt
ex ꝯsuetudie ꝯtineat diẽ ⁊ ãnũ. 2° nomẽ pape vel ipe
ratoris. 3° locũ. 4° noĩa testiũ ⁊ notarii. 5° q̄ oẽs sint
rogati sm̃ ꝯsuetudinẽ. 6° notarius dʒ apponere si/
gnũ suũ ꝯsuetũ: ⁊ multũ facit ꝯsuetudo i istis ⁊ aliis
7° q̄ legat̃ corã partibus ⁊ oʒ totuz scribi ⁊ legi in
sniã: secus i aliis istrumẽtis nec dʒ scribere nisi qđ a
partibus audiuit. Quõ possit corrigere vel addere
qñ errauit: vide. ℣. excõicatio. 5. casu. 5. §. fi. cc me.
Autẽtica aũt est q̃ per se fidẽ facit: siue ex apposi/
tiõe sigilli autẽtici siue alio mõ. vt. s. §. i. vñ autẽti/
ca quasi ex se auctoritatẽ hñs: illa vero q̃ nõ ẽ publi
ca neqʒ autẽtica ẽ priuata. puta q̃ nõ est a notario
vel sine solẽnitatib⁹ vel nõ hʒ illa q̃ faciũt: vt dictũ
est. Uide. ℣. lr̃a: ⁊. ℣. scriptura: ⁊. ℣. tabelio. §. 6.

4 ¶ Utrum libri rõnũ faciãt fidẽ vel ꝓbẽt. R̷. sm̃ Pa. in
. d. c. 2. col. 5. q̄ aut q̃rit̃ vtrum ꝓbet pro scribẽte ⁊ sic dic
sm̃ oẽs q̄ sic. i his q̃ depẽdẽt a volũtate sua. l. nẽse/
mus. ff. de nego. ge. facit. c. fi. de suc. ab itesta. Si q̃/
rimus vtrum probet ꝯ scribẽtẽ. vel ꝯ. 3m. sic sunt multe
opiniões. sʒ ipe Pa. post Bar. dicit q̄ nihil ꝓbat.
sʒ limitat nisi sit scriptura alicuius boni viri: tũc fa
cit aliquã ꝑsumptionẽ ita vt cum aliis adminiculis
probet. nõ. n. ẽ verisimile q̄ bonus mercator debeat
suũ librũ falsificare maxime ꝓ modica q̃ntitate. ar.
. c. ad audiẽtiã. de ꝑscrip. ⁊. l. rões. C. de proba. ⁊
nõ videt̃ minor rõ i viuẽte q̃ i mortuo. Sed quid
si liber rõis ꝯtineat aliqd ꝓ scribẽte ⁊ aliquid ꝯ: ⁊
cõcernat actũ circa eãdem personaʒ. puta mercator
scripsit in libro suo q̄ titius deposuit penes se. c. po/
stea rescripsit q̄ illi restituit. l. vel quid simile. dico q̄
põt approbare pro se ⁊ nolle stare quaten⁹ facit ꝯ
se. de quo ẽ tex. i. l. publia. §. fi. de posi. q̃uis. n. aliqs
possit testificari ꝯ se. nõ tñ pro se. i 4. q. 2. i prin. 3° ca/
su vtrum faciat fidẽ ꝯ. 3m. R̷. post Bar. q̄ aut fuit cõfe
ctus auctoritate publici officii. sic olim fiebãt apud
nũmularios ⁊ sic facit fidẽ. alias nõ facit plenã fidẽ
nisi forte hoc habeat ꝯsuetudo: ⁊ hodie cãpsores ⁊
mercatores qui iurãt i arte sua. forte succedũt i loco
officialiũ publicoꝝ. ita vt faciãt semiplenaʒ proba/
tionẽ: si sunt hoĩes probati ⁊ bone fidei: ⁊ fame.

¶ Utrum i criminibus possit ꝓcedi p verisiles ꝑsũptio/ 5
nes. R̷. q̄ nõ. sʒ dẽbẽt ee luce clariores. l. sciãt cũcti. C.
de ꝓba. Fallit i crie symõie. c. sic: de symo. ⁊ heresis
c. cũ cõtumatia: de here. li. 6. ⁊ i. l. i. C. de here.

¶ Utrum equoca iducãt ꝓbationẽ. R̷. q̄ nõ. q: hoc nõ 6
ꝓbat ee qđ ab hoc ꝯtigit abeẽ. c. 2. de trãs. ꝓla. sicut
datio anuli q̃ multa põt significare: ⁊ solõ cẽsus.

Proclamatiões possunt fieri a ꝓlatis i capitu
lis religiosoꝝ de aliqbus leuibus q̃ fame nõ
derrogãt q̃ sunt quasi qdã cõmemorationes
oblitãꝝ culpaꝝ. nõ aũt accusatiões vel denũtiatio/
nes. si eẽnt tñ talia de quibus frater ifamaret̃ ꝯtra
ꝑceptũ dñi ageret q p hũc modũ pctm̃ occultũ fra/
tris publicaret. h. o. T. xi. q. 33. ar°. 7. ad. 4m.

Procurator quis dicatur: vide. ℣. yconomus
⁊. ℣. laicus.

¶ Procurator est duplex. s. ad iuditia: ⁊ negotia. 1
primus nõ põt alium ꝯstituere nisi post litis ꝯtesta.
Alius potest libere. de procu. li. 6. c. i. Jtẽ primus nõ
datur nisi maior. 25. annis: alius vero etiã post. 17.
. c. qui generaliter. c. ti. ⁊ li. Jtẽ laicus põt esse procu/
rator in causis spiritualibus ad agendũ ⁊ defendẽ
dũ. secus si suo noie tractaret quasi ius i eis habẽs
de iudi. c. 2. ⁊. d. c. i. in glo. Jtẽ procurator post litem
ꝯte. eo q̄ factus est dñs. litis potest dare aliũ procu
ratorẽ. ante vero nõ. nisi fuerit datus in rẽ suã. puta
si titulo donationis cesse sunt sibi actiones vel super
hoc a dño habuerit mandatũ. etiaʒ nõ certã perso/
nã. q: tunc mandãs dicit̃ instituere. Jtẽ procurator
ante litẽ cõtesta. reuocari põt. secus post. ipo nollẽte
sine rationabili cã. puta quando sit inimicus dñi.
vel suspectus aut sit aduersario affinis vel heres. seu
ingredit̃ religionẽ. aut assumit i longã peregrina/
tionẽ. vel egritudine aut vinculis detineri cõtingerit
vel quãdo dñs reassumit causãʒ ⁊ nõ sibi ꝯdicitur.
assistere aũt potest cause inuito ꝓcuratore. c. si queʒ

co.ti.lib.6. Et quando reuocat propter causas.d. debet iudici ⁊ aduersario intimari alias gesta post valent.c.mandato:de procur. Non potest eē procurator minor .d. etate neq; furiosus : neq; infamis. surdus siue mutus.accusatus de crimine.seruus seu excōitatus.si tamen eēt occultus teneret de procur. auditis. Nec regularis. nisi in causa sui monasterij ⁊ iubente prelato in de.cū religiosus. Nec clericus quo ad ciuiles causas.nisi pro miserabilibus personis.secus in spiritualibus.

2 ❡ Procurator habens mandatū substituendi: tunc enim substitutus est potius a principali: substitutuȝ a se post mādatū susceptū etiā si nō sit visus. reuocare nō potest:functus est.n.officio suo: nisi ⁊ potestatē habuit reuocādi:alias.n.nō potest nisi i casibus. vt in.§.precedēti. Et si erat ad plures causas ⁊ i altera substituit manet in alijs. Et procurator siue ad negotia siue ad iuditia qui renuit acceptare mādatū penitere potest q̄diu cōstituens i eadem perseuerat voluntate.secus si mutasset. vel cāȝ agendo vel aliū instituēdo.c.licet.e.ti.lib.6. dans aūt procuratorē sub ista forma:quotiēs cōtingit me abeē: causam tractādo procuratorē nō intelligit reuocare.secus si simpliciter cōstituisset illū: nisi expresse protestetur ꝙ ipm reuocare nō intendit vel alias hoc appareat ex cōiecturis probabilibus.vt si forsan aliqs imineat articulus cuius veritatē melius scit ipe dñs aut ipe procurator est infirmus. vel l se absentat.seu quicquid accidat ꝓpter quod sua presentia sit oportuna.puta procurator nō habeat mandatū iurādi de calūnia.vñ oportuit venire dominū ⁊ iurare.

3 ❡ Procurator est ydoneus ad cōtrahendū matrimoniū.si habet speciale mandatū.alias secus.etiaȝ si haberet cuȝ clausula.vt possit oia alia:⁊c̄.⁊ cum expressiōe vnius quod requirit speciale mandatū.ꝺ quo.ꝟ.vicarius.§.6.similiter nō aliter tractat causam matrimonialē:⁊ talis nō substituit nisi de hoc habeat speciale mandatū. Et si talis fuerit reuocatus vel vetitus ne contrahat. etiam si iurasset non reuocare quāuis esset periurus. non tenet cōtractus post factus etiā si ignoraret reuocationē: secus esset in procuratore ad matrimoniū spirituale.s. ad eligendū prelatū: hoc.n.est speciale i matrimonio carnali.c.fi.e.ti.li.6.

4 ❡ Procurator nō potest minor. vt dictū est.§.i.nec furiosus.nec infamis. surdus. mutus. accusatus de crimine.seruus excōicatus.vel constitutus ab excōicato.si tamen eēt occultū teneret.de procur.auditis nec regularis nisi in casu sui monasterij ⁊ iubente ꝓlato in de.cum religiosus : de procur.nec clericus in quolibet gradu constitutus quo ad ciuiles causas. nisi pro miserabilibus personis. ſm Hosti. secus in spiritualibus.

5 ❡ Sunt quidaȝ casus qui procuratorē explicari nequeunt. vt penitētia. de pe.di.i.quem penitet. Et responsio in baptismo quātū ad adultū:de con.di.4. cū pro paruulis.⁊ susceptio cuiuslibet sacramenti ⁊ generaliter omnis actus expresse exceptus a iure. Omnis autē alius per procuratorē potest explicari .l.i.§.vsus.ff.de procur.⁊ in regula.potest quis : de re.iur.in sexto. Excipiūtur aūt aliqui.ff.co.⁊ similiter in sexto in.c.qui ad agendū.iuncta glo.

❡ Utrū procurator qui vadens pro facto dñi incidit in latrones ⁊ fuit vulneratus:spoliatus:⁊ hmōi sit a domino in aliquo releuādus .R̄. ſm Pa.in.c. cū pro causa.de procu. ꝙ nō de necessitate. vide tex. in.l.inter causas.§.non omnia.ff.mādati.quia hec sunt extrinseca a mādato ⁊ imputāda casui fortuito. secus in socijs q: vnus imputat alteri dāna que occasione societatis cōtingunt.l.cū duobus.§.quidam sagariā.ff.pro socio. sed solū expēsas quas fecit eūdo ⁊ redeūdo ⁊ stando ꝓ causa etiā si a principio.nihil dictū sit de expensis ⁊ etiā quātūcūq; volūtarie assumpserit mandatū. Si aūt iret aut staret principaliter pro negotijs suis non potest petere nisi quod expenditur pro causa. 6

❡ Ut͞r administrator ecclesie possit instituere procuratorem.R̄.ꝙ sic.c.petitio:de procura. licet non sit dominus. vt in.c.2.de dona.quāuis regulariter a solo domino possit institui. Et nota ꝙ est quasi idem iudicium de aduocato ⁊ procuratore ideo vide.ꝟ. aduocatus:⁊ maxime.§.5.⁊.6. 7

p Roditio est filia prima auaritie. Uide.ꝟ.interrogatio.§.17.⁊.ꝟ.auaria.§.9.

p Rodigalitas est peccatū quia corrūpit mediū liberalitatis.est tamen minus peccatum q̄ȝ auaritia ſm philosophū. 4°.ethicorꝫ quia magis elongatur a liberalitate cui magis pertinet dare in quo excedit prodigus q̄ȝ recipere vel retinere.in quo excedit auarus.

p Rofessio tacita quomō fiat.ꝟ.nouitius.§.5. ⁊ sequentibus.

❡ Professio expressa q̄ sunt necessaria ad illam .R̄. quinq;.primo ꝙ profitēs cōpleuerit.14.annū si masculus.vel duodecimū si mulier.vt in .c.ꝓ. de regul. lib.6.fallit vt dicit .ꝟ.nouitius.§.2. secūdo requirit ꝙ professio fiat ei qui potest religioni incorporare. vel de licētia eius vel nomine eius qui potest incorporare quia posset habere ratū.secus si nō reciperetur nomine eius quia nō posset habere ratū. Tertio ꝙ fiat religioni approbate.c.vnico : de voto.lib.6. quarto ꝙ prelatus requirat cōsilium capituli vt.ꝟ. nouitius .§. 8.quinto requirit ꝙ fiat de tribus votis:⁊ si deduceret i pactum ꝙ non intendat de vno nō esset professus.secus si nō deducit i pactum quia tūc intelligit de omnibus. De omnibus his vide.ꝟ. nouitius quasi per totū : ⁊.ꝟ.votum.2°. principiorū ⁊.ꝟ.votum .ꝓ.§.4°. 1

3 ¶ Utrū femina profitēs religionē masculoꝝ in manibus ipoꝝ efficiatur religiosa licet nō ingrediatur monasteriū.sed remaneat i domo sua .R.ꝫm Pa. i.c.isinuāte.qui.de.vel vouē.ꝙ sic etiā si nō susceperit habitū. dūmodo expresse sit professa. vt in.c.porrectum:de regul.⁊ idem dicendū de masculo ꝙ ex cā potest profiteri cū pacto ꝙ stet extra monasteriū.ꝫ Inno.i.c.isinuāte qui de.vel vouen.ex quo patet ꝙ habitus nō est de substātia regule.

p Romissio proprie est quādo precedit rogatio pollicitio vero ē solius promittētis sponsio.vt quando promissio fit de aliquo alicui ⁊ illius cōsensus cui fit promissio nō extat acceptās vel ꝙ erat absens: vnde pollicitatio differt a pacto quia pollicitatio ē vnius tantū: pactum vero duoꝝ ad minus. Pollicitatio tūc trāsit in pactū quādo p nūtiū vel per litteras mittit ⁊ acceptaꝫ quia ibi est duoꝝ consensus.l.pactū.ff.de pollici.vnde polliceri dicimur quādo nullo precedēte rogamine aliqua p mittimus.vnde ⁊ pollicitatio differt a nudo pacto: nota glo.i de.romani:de iur.iur.⁊ Pa.i.c.cū iuramento:de homi.quādo aūt verba ꝓmittūtur a recipiēte dr̄ stipulatio:exēplū:dabis mihi decē respondeo dabo:⁊ similia Insti.de verb.obli. i principio: vide.ꝟ.pactum.§.2.⁊ sequētibus.

4 ¶ In alternatiuis ⁊ debitis promissionibus electio est debitoris ⁊ sufficit alteꝝ adipleri Insti.de acti.§. ꝓter ea:⁊ extra de re.iur.i alternatiuis.li.6.

p Romulgatio quō sit necessaria ad obligationē legis.ꝟ.lex:ꝓn.⁊.s.Tho.1.2e.q.90.ar.4°.

p Rosoneta qui cōtractus faciunt vsurarios: vide.ꝟ.vsura.7.§.3. quō possit testificari in cōtractu i quo fuit mediata.ꝟ.testis:ꝓn.

p Rudentia carnis vtrū sit peccatū.R.ꝫm.s. Tho.2.2e.q.55.ar°.ꝓ.⁊.2°.ꝙ sic.vbi ait prudētia carnis proprie dr̄.ꝫm ꝙ aliquis bōu carnis habet vt vltimū finē sue vite.Manifestū est aūt ꝙ hoc est peccatū.per hoc.n.homo deordinaꝫ circa vltimū finem q nō consistit i bonis corporis:⁊ ideo prudentia carnis est peccatū:⁊ si i cura carnis ponat qs vltimū finē totius vite erit peccatū mortale. ꝗꝛ per hoc hō auertiꝫ a deo cū ipossibile sit eē plures fines vltimos. vnde apostolus ad Ro.8.prudētia carnis inimica est deo. Si vero prudētia carnis acapiaꝫ ꝫm rōeꝫ particularis prudentie sic ē peccm̄ veniale:ꝯtingit.n.qn̄qꝫ ꝙ aliquis iordinate afficiꝫ ad aliqd delectabile carnis absqꝫ hoc ꝙ auertatur a deo per peccm̄ mortale.vnde nō ꝯstituit finē totius vite i delectatiōe carnis ⁊ sic adhibere studium ad hāc delectationē ꝯsequēdā est peccm̄ veniale qd ptinet ad prudentiā carnis. Si vero aliquis actu curā carnis referat i finē honestū: puta cū aliquis studet comestioni ꝓpter corporis sustētationē nō vocaꝫ prudētia carnis.ꝗꝛ sic vtiꝫ hō cura carnis vt ad finē ⁊ sub prudētia carnis aliquo modo ꝯtineꝫ prudentia mundi:⁊ prudētia diaboli. vt possimus eodem modo distinguere.

p Ubes:vide.ꝟ.impubes.

p Ublicū:vide.ꝟ.notoriū.

p Udicitia: Nomen pudicitie sumptū est a pudore i quo verecūdia signaꝫ ⁊ iō oꝫ ꝙ pudicitia ꝓprie sit circa illa de quibus hoīes maxime verecūdātur.Maxime aūt verecūdātur hoīes de actibus venereis vt Aug.dicit i.4.de ciui.dei.in tm̄ ꝙ etiā ꝯcubitus ꝯiugalis qui honestate nuptiarū decoraꝫ verecūdia nō careat ⁊ hoc ideo ꝗꝛ mot° genitaliū mēbroꝝ nō subiciꝫ imperio rōis sic motus exterioꝝ mēbroꝝ:verecūdaꝫ aūt hō non solū de illa cōmixtiōe venerea. ꝫ etiā de quibuscūqꝫ signis eius.vt p̄hs dicit i.2°.rhetu. Et ideo pudicitia attendiꝫ ꝓprie circa venerea ⁊ ꝓprie circa signa venereoꝝ.sicut sunt aspectus ipudici.oscula ⁊ tactus: ⁊ ꝗꝛ hec solēt magis deprehēdi iō pudicitia magis respicit hmōi exteriora h°.castitas ꝟo magis ipam venereā cōmixtionē ⁊ iō pudicitia ad castitatē ordinaꝫ nō quasi virtus ab ipa distincta.ꝫ sicut exprimens castitatis circūstantiā quādā: iterdū tn̄ vnuꝫ pro alio poniꝫ:hec.s.Tho.2.2e.q.151.ar°.4.

p Unitio peccatoꝝ ꝫm ꝙ pertinet ad publicā iustitiā est actus iustitie comutatiue:ꝫm aūt ꝙ pertinet ad imunitatē alicuius psone singularis a qua iniuria propulsaꝫ pertinet ad virtutē vindicatiōis. Et nō ē aliquis puniēdus sine culpa nisi sub sit cā:de re.iur.sine culpa.li.6.

p Urgatio est quadruplex: vna spiritualis.s. a pctis ⁊ hec fit per baptismū ⁊ penitētiā:de ꝯse.di.2.c.cū oēs:⁊ per fidei fervorē.15.q.8.c. vltimo:de coha.de.⁊ mu.c.vsa:⁊ p ālꝫ opa pietatꝫ. 22.q.2.c.si ālꝫ.Alia dr̄ ignis purgatorii:d qua.ꝭ.ꝟ. purgatoriū.Alia dr̄ vulgaris q̄ a vulgo ē inuēta ⁊ hec fit cū ferro cādēte:aqua feruēti aut cū duello:⁊ ⁊ si euaserit illesus fit imunis ⁊ hec ꝓhibeꝫ sub pena peccati mortalis.2.q.5.mēnam:⁊.c.cōsuluisti:⁊ de purg.vul.p totū:ꝗꝛ est ꝯ id.deutero.6. Non tētabis dñm deū tuū.Alia dicaꝫ canonica a iure canonico inuēta que est ꝫm Ray. de obiecto crimine inocētie ostēsio.s.per iuramētū vel alio debito modo: ⁊ hec fit per iuramenti prestationē corā suo iudice ⁊ illis apud quos isamatus. nec ad id operā dedit ⁊ huiusmodi:⁊ debet habere tot cōpurgatores quot indicēti purgationē videbitur. attēta enormitate criminis.qui sint bone opinionis: ⁊ non sit verisimile eos peierare ⁊ qui eius conuersationē sciant ⁊ sint eiusdeꝫ ordinis si est possibile qui simul iurent ꝙ credunt eū verū iurasse vel ꝙ bonū exhibuit iuramētū. hec probātur:de purg.cano.per totum.

¶ Quādo debet iudici canonica purgatio.R.ꝙ qn̄ i apud iudicē suū isamatus est ⁊ isamia publica la

dorat: ⁊ apud graues ⁊ bonos viros: ⁊ nō sit orta ab inimicis: tunc iudex dȝ pfigere terminū vt si qs vult accusare cōpareat: ⁊ si accusator appareat au diat canonica. si vero nō appareat ⁊ infamia mala crebrescat. tūc pcedat iudex ad inqsitionē ⁊ si nullus appareat etiā denūtiator nec cōuincat tunc cōpellat eos ad purgationē canonicā hec nō Jo. glo. 2. q. 5. presbyter. Uide. s. inquisitor. §. 13.

2 ¶ Utrum iudex ex simplici suspitiōe poterit purgationē canonicā idicere. R. q si ifamia non laborat vt dictū est. nō poterit nisi forte sit accusatus. 2. q. 5. §. ecce qualr. vñ nō q verisilis suspicio sufficit ad idicendā purgationē pdictā lȝ nō fuerit ifamatus. sed temeraria suspicio repellat. e. c. si qs. 2. q. 1. c. 1. violēta āt suspitio sufficit ad sniaȝ. 23. q. 1. dixit: nō archi. 2. q. 5. oib⁹. Inno. ⁊ Hosti. in. d. c. si quis: ⁊ ex dicto vnius maxime si ifamia ex hoc apud graues resultat est indicenda. Uide. s. presumptio.

3 ¶ Que pena deficiētis i purgatiōe. R. q si accuset ⁊ iudicat ⁊ idicat sibi purgatio canonica si deficiat puniet ac si fuisset cōuictus de symo. c. de hoc: si s̄o p modū iqsitiōis agat aut denūtiationis. pena erit arbitraria vt nō Pa. in. c. accedens: de accu. siīr dic q si nō pcessit aliqs modus agendi. s. accusatiōis. inqsitiōis aut denūtiatiōis. sȝ solū pp ifamiā. iudex indicat purgationē: tūc siīr si deficit punit extraordinarie: ⁊ ē casus. c. significasti: de adul. Et bȝ Inno. cū i hoc casu iudex pcedat ex psumptione dȝ multū tēperare sniaȝ. vt nō i. c. afferte. de presum. Quō triplex est suspitio. s. iqsitor. §. 15. 16. ⁊. 17. Si vero purgationē rite pfecerit iudex sine mora ⁊ difficultate debet suspensionē si forte facta fuerat relaxare ⁊ cū ab ifamia criminis absoluere ⁊ cum boni testimonij anūtiare: vt i. c. qō sequitur: ⁊. c. ex tuaꝝ. e. ti. Si vero non rite pfecerit tenebit iterū. d. c. ex tuaꝝ. Et qñ crimē est notoriū vel appareat accusator nō dȝ recipi ad purgationē. etiā si offerret. c. 2. e. ti. ⁊. c. cū dilectis. Nec dȝ illi q ē solū suspectus iudici. nisi forte fuerit accusatus ⁊ sic remaneat suspectus etiaȝ soli iudici. ar. c. inter sollicitudines. e. ti.

P Urgatoriū an sit. R. sm. s. Tho. 4. di. 21. q. 1. ar. p. ql. p. q sic. Et negare illud eē. est hereticū. ꝯ diuinā iustitiā. ꝯ sacraȝ scripturā ⁊ ꝯ affirmationē ecclesie. Greci tñ hoc negāt. vñ. s. T. vbi. s. sic ait. Illi qui purgatoriū negant. ꝯ diuinaȝ iustitiā loquūt ⁊ pp hoc erroneū ē ⁊ a fide alienū. vñ Greg. nissenus. hic pdicamus dogma veritatis seruantes ⁊ ita credimus. hoc etiaȝ vlis ecclesia tenet pro defunctis exorans vt a peccatis soluātur. qō nō pōt nisi de illis q sunt i purgatorio itelligi. ecclesie aūt auctoritati qcūqȝ resistit heresim icurrit. vñ. 2. Macha. 12. habet. sancta ⁊ salubris est cogitatio p defunctis exorare: ⁊c. hec ille.

1 ¶ Querit de loco purgatorij vbi sit. R. vbi. s. q nō inuenit aliquid expresse determinatū i sacra scriptura nec rōes ad hoc efficaces possunt adduci. tñ probabilr ⁊ sm q est magis ꝯsonū dictis sanctoꝝ ⁊ reuelatiōi facte multis. locus purgatorij ē duplex vn⁹ sm legē cōeȝ ⁊ sic locus purgatorij est locus iferior ꝯiūctus iferno ita q idē ignis est qui dānatos cruciat i iferno ⁊ qui iustos i purgatorio purgat: qūuis dānati sm q sunt iferiores merito: ⁊ loco inferiores ordinādi sint. Alius ē locus purgatorij sȝ dispensationē: ⁊ sic qñqȝ in diuersis locis aliqui puniti legūtur vel ad viuoꝝ istructionē vel ad mortuoꝝ subuētionē. vt viuentibus eoꝝ pena inotescēs p suffragia ecclesie mitigaret. vñ Greg. sicut sub eodē igne auꝝ rutilat ⁊ palea fumat ita sub eodē. peccator crematur ⁊ electus purgat: ⁊ qūuis sit ille ignis tēporalis qm̄ ad effectū ē tñ eternus qm̄ ad substātiā. h. s. T.

2 ¶ Utrum pena purgatorij sit grauis. R. q miro mō ē grauis. superat. n. oēm penā quā vnqȝ passus ē aliquis i hac vita. vel pati pōt. hec formaliter i tex. 25. di. §. qualis hic. de pen. di. 7. c. si. Addit q nec etiaȝ martires tantā penā passi sunt. qō declarat. s. Tho. vbi. s. dicens. In purgatorio erit duplex pena. vna dāni inquātū. s. retardātur a diuina visiōe. Alia sensus sm q ab igne corporali puniūtur: ⁊ quantū ad vtrāqȝ. pena purgatorij minima excedit maximaȝ penā huius vite. quātum. n. magis desiderat tanto eius absentia est mestior. vt qz affectus quo desideratur sumū bonū post hāc vitā in aīabus sanctis ē intēsissimus qz nō retardat affectus mole corporis ⁊ etiā quia terminus summo bono iam aduenisset nisi aliquid impediret: ⁊ ideo de tardatione maxime. Similiter cū dolor nō sit lesio: sȝ lesiōis sensus. tāto magis aliquis de aliquo lesiuo quāto magis ē sensitiuū. vñ lesiōes q fiūt i locis maxime sensibilibus sunt maximū dolorē causantes: ⁊ qz totus sensus corporis ē ab aīa idō si in ipaȝ aīaȝ aliqō lesiuū agat de necessitate oportet q maxime affligat: ⁊ ideo oportet q pena purgatorij qūtū ad penā dāni ⁊ sensus excedat omnem penam istius vite: hec ille. Uide. s. pena. §. 3. circa si.

3 ¶ Utrum pena purgatorij sit voluntaria. R. vbi. s. q voluntariū ē duplex. primū absolutū ⁊ sic nulla pena est voluntaria. Aliud ē voluntariū ꝯditionatū. s. quādo pp̄ter aliud. puta volo vestimentū pp̄ter sanitatē: ⁊ hoc est duplex. primo quādo per penā aliquod bonū acquirimus sicut per martiriū acquirimus gloriā. 2 qz qūuis per penā nullū bonū acquirat tamen sine pena ad bonuȝ peruenire nō potest ⁊ sic pena purgatorij est voluntaria.

4 ¶ Utrum aīe in purgatorio puniātur per demones. R. vbi supra. q sicut post diē iudicij diuina iustitia succendet ignē quo dānati in perpetuū dānētur. ita etiam nūc sola iustitia diuina electi post hāc vitā purgāt nō ministerio demonū quoꝝ victores extiterūt nec

ministerio angeloꝝ q: cuies suos nõ tam vehemẽter affligerẽt:s3 tñ possibile ẽ ꝙ eos ad loca penaꝝ deducãt ⁊ etiã ipi demones qui de penis boiũ letãt eas cõcomitãtur ⁊ assistũt purgãdis tũ vt de eoꝝ penis satiẽtur tum vt i eoꝝ exitu a corpore aliquid suũ ibi reperiãt.in hoc aũt seculo quãdo adhuc locus pugne est puniuntur ab hoie ⁊ a malis angelis sicut ab hostibus. vt patet de Job ⁊ a bonis sicͭ p3 de Jacob cuius neruus femoris angelo percutiente emarcuit ⁊ hoc etiaz Dyo. dicit expresse in.q.c.de diui.no.ꝙ boni angeli interdũ puniũt.

5 ¶ Utꝝ pctm̃ veniale expieẽ i purgatorio quantũ ad culpam.R. vbi supra.ꝙ sic:vbi reprobatis diuersis opinionibus cõcludit dicẽs. Et iõ cũ aliqs dicendũ ꝙ culpa ẽ venialis i eo qui cum gratia decedit.post hãc vitã.dimittiẽ per ignez purgatorij q: pena illa aliqualiter voluntaria virtute gratie habebit vim expiandi culpã oẽm q̃ simul cũ gratia stare põt:nõ poterit tñ ibi peccare venialiter q: ibi nõ erit fomes peccati ⁊ q̃uis post hãc vitã nõ possit eẽ meritũ respectu pmij essentialis.põt tñ eẽ respectu alicuius accidẽtalis q̃diu manet hõ i statu vie aliquo modo: ⁊ ideo i purgatorio põt eẽ actus meritorius quãtũ ad remissionẽ culpe venialis.hec.s.Tho.

6 ¶ Utꝝ vnus citiusliberet ab illa q̃ alius .R. vbi.s. ꝙ acerbitas pene ꝑprie respõdet quãtitati culpe.s3 diuturnitas respondet radicationi culpe i subiecto. vnde põt cõtingere ꝙ aliqs diutius moreẽ qui minus affligiẽ:⁊ ecõuerso:⁊ q: q̃ venialia sunt maioris adherentie q̃ alia sm ꝙ affectus magis ad ea idinaẽ: ⁊ fortius i eis figiẽ.ideo tardius purgãtur: ⁊ ideo quidã i purgatorio diutius q̃ alij torquẽtur sm ꝙ affectus eoꝝ ad venialia fuit magis intẽsus. Et non purgãtur ibi mortalia q̃ cũ culpa sunt. sed minuta ⁊ venialia.25.di.§.alias:⁊.c.qualis. Et illa siue mortalia siue venialia:de quibus nõ fuit facta sufficiens penitentia.Quõ possunt adiuuari ab his qui hic sunt.vide.ꝟ.idulgentia:⁊.ꝟ.suffragia. Et illi q sunt i purgatorio sciũt se eẽ liberãdos quia aliter nõ peterent suffragia.

P Urificatio quõ possunt abstinere mulieres post partũ ab ingressu ecclesie vel petere debitũ ante purgationẽ.ꝟ.matrimo.3.§.7.

P Uritas ꝯscie ꝯsistit i duobus.s.opere bono ⁊ intẽtione recta ⁊ augeẽ per recessum a peccato:charitas aũt ⁊ bonitas p accessum ad terminũ s3.s.Tho.s.sniaꝫ.di.17.q.1.ar.4.ad.4.

P Usilanimitas vtꝝ sit peccatũ.R.sm.s.Tho. .2a.q.133.ar.1.ꝙ sic: aliquãdo veniale aliquãdo mortale.qõ sic declarat: omne illud qõ ꝯtrariaẽ naturali idinationi est peccatũ q: contrariaẽ legi nature.inest autẽ vnicuiq3 rei naturali idinatio ad exequẽdu3 operationẽ cõmẽsuratã sue potentie.vt patet i oibus rebus naturalibus:sicͭ aũt per presumptionẽ aliquis excedit proportionem sue potẽtie dũ nitiẽ ad maiora q̃ possit: ita pusilanimus etiã deficit a proportiõe sue potẽtie dũ recusat id tẽdere qõ est sue potẽtie cõmẽsuratũ: ⁊ ideo sicͭ ꝑsumptio est peccatũ ita ⁊ pusilanimitas ⁊ inde est ꝙ seruus qui acceptã pecuniã dñi sui fodit i terram nec est operatus ex ea ꝑpter quẽdã pusilanimitatis timorẽ puniẽ a dño Mat.25.⁊ Luc.19.vñ põt cõtingere ꝙ aliquis ex virtute quam habet sit dignus ad aliqua magna faciẽda ⁊ q: nõ attentat.peccat aliqñ venialiter aliqñ mortaliter.taliter.n.peccat qualiter est obligatus ad illud i qõ tẽdere recusat siue sit ꝑceptũ siue prohibitio.secus si circa ꝯsilia vt intrãdi religionẽ:audiẽdi cõfessiones vel pdicãdi quibus ex officio nõ cõuenit de necessitate.vt Greg.dicit i pastorali. Illi qui prodesse vtilitati proximoꝝ i pdicatiõe refugiũt si districte iudicẽtur ex tãtis rei sunt ex quãtis veniẽtes ad publicũ pdesse potuerũt.

¶ Queriẽ cui opponaẽ .R.vbi.s. ꝙ pusilanimitas põt tripliciter ꝯsiderari.vno mõ h3 seipam ⁊ sic manifestũ ẽ ꝙ s3 ꝑpriã rõe3 opponiẽ magnanimitati a q̃ differt s3 differẽtiã magnitudinis:⁊ paruitaꝗ circa idẽ. Nã sicut magnanimus ex animi magnitudine tẽdit ad magna ita pusilanimis ex animi paruitate se retrahit a magnis. Alio mõ põt ꝯsiderari ex parte sue cause q̃ ex parte intellectus est ignorantia ꝑprie cõditiõis. ex parte aũt appetitus ẽ defectus i his q̃ false extimat excedere suã facultatẽ.3o põt ꝯsiderari quãtũ ad suũ effectũ qui est retrahere se a magnis quibus ẽ dignus.s3 oppositio vitij ad virtutẽ attendiẽ magis sm ꝑpriã spẽm q̃ sm causas vel effectũ:⁊ ideo pusilanimitas directe magnanimitati opponiẽ.quãtũ aũt ad suã causam opponiẽ solicitudini ꝯsiderãdi ⁊ itelligẽdi suam facultatẽ ⁊ animositati aggrediẽdi:quãtũ vero ad effectũ videtur opponi solicitudini prout est prudẽtie ⁊ oriẽ ex supbia dũ nimis aliqs.ꝑprio sensu innitiẽ quo reputat se isufficiẽtẽ ad ea ad q̃ est sufficiens.

Q Uadragesima quando ⁊ quõ fuit instituta nõ in.c.quadragesima:de ꝯse.di.5.vbi dicitur ꝙ a Christo fuit instituta vt deo decimã annoꝝ reddamus:quãdo est incipiẽda ⁊ a quibus abstinendũ ⁊ qua hora cõmedendum:vide.ꝟ.ieiunium.§.x.⁊.xj.

Q Uarta falcidia vel trebellianica vel debita filiis debito nature.i.legitima: vide.ꝟ.legitima:ꝯ quarta canõica.ꝟ.canonica portio.

Q Uestuarij dicũtur qui discurrũt pro demosis qui nullo mõ recipi debẽt nisi veras lras aut apostolicas.aut dyocesani ostẽdãt ⁊ ponitur forma lraꝝ i.c.cũ ex eo.de pen.⁊ re. Et si hñt lras apostolicas nõ debent acceptari nisi prius per episcopum examinati vt in de.abusionibus:de pen. ⁊ re.nec sunt permittendi predicare nisi solum modo prout in litteris cõtinetur.d.c.cũ ex eo.⁊ de here. vt offi ciũ.lib.6.⁊.d.de. abusionibus.

¶ Quid si pueniat i cor líis q i locis religiosis bone iste et charitatiue recipiātur et q fideles ad cor exortationes cóuocēt. R. q nihilominus clerici et rectores ecclesiar nó tenētur iniūt pdicta facere. q: tales ire cóstū ad hmói puocationē sunt reuocare ipo iure. vt habet i extrauagāti de.4. Nec debēt i tabernis et alijs locis publicis i pgruis manet aut inutiles expēsas facere. aut habitum falsæ religiōis portare. aut idulgentias vel alia mēdatiosa pponere hec habētur i.d.de.abusionibus:et.d.c.cū ex eo. Et poterūt tales puniri ab ordinarijs.si publice dlinquāt. licet sint exēpti.c.tuar:de priuil. Intellige nisi aliqd aliud habeāt i suis priuilegijs qd debet seruari vt dicit glo.i.d.c.tuar: vñ pdicatores et minores et multi alij habēt priuilegiū q etiā róe delicti nó possunt ab ordinarijs puniri. Uide.v.exēptus pn. circa fi. Et dr qstus oé qd ex opa cuiuscūq3 descēdit .ff.pro socio.l.qstus:glo.i.lucrū. Et si pp eos impedirer officiū iquisitoris pñt et dñt ab ipis cópesci et remoueri a pdicatióe. vt i.d.c.vt officiū.

Racor bm q dicit ex.d.o.2a.q.35.ar°.4°.ad 1m.et i qstionibus de malo.q.xj.ar.4.é displicētia p aliquē pp quā desiderat vel qrit quis malū alteri et é filia accidie qñ p aliquē eo q iducit eū ad bene operādū. Aliqñ é filia ire et é peccatū mortale si malū qd alteri qrit vel optat é aliqd alicuius iportantie:et cū deliberatióe volūtatis. Uide.v.odiū. Quó rácor dupłr acapit et quó tenemur dimittere signa rácoris et q sunt illa. maxime circa inimicos.v.charitas.§.x.xj.et.12.

Rapina bz.s.Tho.2a.q.66.ar.8.quādā violentiā et cohactionē iportat p quā p iustitiā alicui auferf qd suū ē:i societate āt hominū nullus hz cohactionē nisi per publicā ptātē et ideo quicūq3 per violētiā aliqd alteri aufert si sit priuata psona nó vtēs publica ptāte illicite agit:et rapinā cōmittit.sicut pz in latronibus:principibus vero ptās publica cōmittitur ad hoc q sint iustitie custodes et iō nó lz eis violētia vel cohactióe vti nisi bm deū et iō hoc vel p hostes pugnādo vel p ciues iustitie terrorē et hoc vel p hostes pugnādo vel p ciues malefactores puniēdo:et qd p talē violētiā aufert nó hz róez rapine cū nó sit p iustitiā. si vero p iustitiā aliqui per publicā ptātē violēter abstulerit res alior illicite agūt et rapinā cōmittūt et ad restitutionē tenētur.eodē mō dic de bello.si é iustū nó é rapina nec tenet ad restitutionē etiā si peccaret bellādo pp auaritiā.secus si eēt iniustū:de quo .v. bellū.§.xj. Quó ab ifidelibus possunt accipere.v.in fidelitas.§.x. De emētibus rem raptā .v.restitutio .§.14.et est grauius pctm rapina qz furtū bm.s.T. et.c.penale.14.q.5.de depdātibus romipetas vel venientes vel stantes vel recedētes a curia.v.excōicatio.6.casu.6.et se.

¶ Utrum sit standū iuramēto rapientis seu furātis de qtitate rapti.seu furati. R.cōiter doc.legiste tenent i.l.si qñ.C.vñ vi.et pa.et i.c.super eo. de his q vi.q vbi quis cōuenit ex dolo alterius nó admittit pbatio per iuramētū i litē.sed qñ puenit de dolo suo sic credit iuramēto allegātis dānū:pptera dicit Inn. i.d.c.sup eo. q.d.c.habebit locū i qualz vi cōpulsiua:ablatiua:expulsiua:turbatiua:et inqetatiua. Ex quo iferf q si probo furtū vel rapinā p raptorē stabit iuramēto meo de qtitate rei rapte et probātur furtū et rapina per socios familiares: et hmói.

Raptor p qñ per violentiā quis rapit res alienas cuius pena est bm leges si agatur infra annū ciuiliter punit i quadruplū nó cōputata.s.ipa re.post annū vero i simplū.ff.d vi.bo.rap. .l.i.§.2.et ad istā penā raptor qdē tenet solū postqz dānatus est. Si vero agat criminaliter tūc per viz sine armis punit i tertiā partē bonor et fit infamis .ff.de vi.pu.l.i.§.rñso:et.l.fi. Si aūt cū armis.punit deportatióe. q: deportabat in isulā et perdebat oia sua vt Insti. de pu.iudi. bm canōes raptor multipliciter punit et prima pena é q: excoicat .s.ab illo epo i cuius epatu rapinam fecit.eo.ti.c.i.et.6.q.3.c. placuit. Itē denegat ei penitētia nisi restituat ablata vel plenā securitatē de reddēdo faciat si habeat vnde possit. Si vero cū haberet vnde posset distulit habere penitētiā.vsq3 ad mortē et si nó potest satisfacere.si petat penitētiā dabit ei et etiam viaticū:si vero decedit ipenitēs tūc et viaticū et sepultura denegabit .c.super eo.e.ti.et.c.i litteris:q si nó habeat vnde reddat nec heredes.nec propinqui volūt satisfacere.ipe tñ ptritus facit qd potest licet tarde ideo nó priuabit penitētia et viatico.sed tñ sepultura denegabit quod statutū est ad terrorē alior:presbiteri vero q p predicta facerēt sepeliēdo ipm et hmói debēt dponi ab officio et bñficio vt.d.c.sup eo. lz tñ de occultis raptoribus bm Inno.nó debēt tales rigores seruari ar.d.c.i litis. Uide aliqd.v.furtū.§.2.

Raptor.2°.s.personar: raptor.n.nó solū dicit rer vt in precedēti.sed etiā personar et sicut ab illo dr rapina ita ab isto dr raptus et est cōiter quādo puella violēter rapitur vt in perpetuū teneat vel etiā qñ nó ipa. sed vsus eius violēter rapitur.36.q.i.§.ex hac. Itē raptus nó solū cōmittit i virgine.sed etiā large i vidua et sanctimoniali.36. q.2.raptores:et.c.si qs nó dicā. Uide aliqd.v.luxuria.

¶ Querit de pena raptoris personar. Fria.§.5. R. q bm.ll.pena est vt capite puniatur et si igenuā rapuit eius substātia.rapte applicet: secus si ancillam vel libertā quia tūc decapitat quidē.sed nó perdit substantiā et itelligit si rapuit mulierē honestā. secus si meretricē q: bm.ll.non punitur.d.pena. Itē nó potest puella rapta cōtrahere cū raptore. Item omnes fautores raptoris capite puniūtur .l. vnica: de rap.vir.bm canones vero aliter puniūtur. Nam raptor efficitur seruus rapte. nisi velit se redimere 36.q.i.de raptoribus. Et pro declaratióe predictor

nota fm Pa.in.c.cuz causa.de rap. q vbi tracta/tus de nuptijs non precessit raptus semper dicit cō/mitti siue puella cōsensit siue nō.vt aperte vult tex. d.l.vnica.sz vbi precessit tractatus z pro matrimo/nio cōtrahendo fuit adducta. tūc de iure canonico non cōmittitur raptus quia matrimoniū debet esse liberū z puella forte non poterat cōtrahere libere in domo parentū eis renitentibus. vnde ius canonicū libertatem matrimonij cōsiderauit: ius vero ciuile cōsiderauit delictum raptoris:hec Pa.sic ergo ra/pta si velit potest cōtrahere cū raptore de iure cano nico vt i.c.accedens:de rap. Nota etiam q fm.ll. raptores filiorum seu seducētes filios a parentibus: si sunt nobiles damnāt in metallū: si nō sunt nobiles aut si plures hoc cōmiserūt dānātur ad mortem:z seruus vel libertus subditur bestijs. C. de plagia/rijs.l.fi.z ibi glo.

r Atio habet triplicē gradū i homine fm phi/losophū.s.ethycorum.primus est ante comple ctum septēnium vbi non itelligit nec per se nec ab alio capere potest:z ideo illo tēpore nulli cōtra/ctui est aptus.secundus est cū ab alijs potest capere licet imperfecte.sed ipse per se nō sufficit ad intelligē dum z istud ē i fine primi septēni regulariter z tūc potest promittere aliqua ad que natura idinat.non tamen cū obligatiōe perpetua.tertius est quādo ab alio capere potest z per seipm considerare z istud ē i anno pubertatis:z tunc potest se obligare quo ad personam.puta ad votū religionis z ad matrimo/niū z huiusmodi.sed quo ad exteriora nō. nisi in fi ne.25.annorum.Uide.§.spōsalia.§.4.z.§.matrimo/niū.2°.§.6.z.§.etas:prin.

r Atiocinia sunt reditiones rationum ad quas quis obligatur ex administratiōe rei publice vel priuate. Nam sunt quedā ratiocinia pu/blica quibus obligantur officiales curie ex admini/stratione aliquarum ad rem publicā pertinētiū. vt.C. de epi.z de.l.officiales:quedā dicūtur priuata qui/bus obligātur homines ex administratiōe rerū pri/uatarum:vt tutores:curatores:actores: procuratores: executores de obli.ad ratio.c.vnico.

f ¶ Utrum obligatus ad ratiocinia possit ordinari. R. q post dimissionē administratiōis si est obliga/tus rei publice ex administratiōe promoueri nō po test ante redditā ratiocinationē.c.preterea.s.di.se/cus si eēt obligatus ex mutuo vel alia causa.l.referi pto.ff.de mu.z ho.C.de de. z epi.l.quisque emerſie. si vero ē obligatus persone priuate tunc si tenet de dolo z fraude z cōstat repellit. Si vero cōstare nō potest vel tenet ex alia culpa sic pōt promoueri. In officio aūt administratiōis existēs an possit promo/ueri ē opinio. Inno.i.d.c.vnico :vbi dicit q si quis gerat tutellā vel curā legitimā vel necessariā a lege sibi ipositā vel etiā suscipiat aut miserabiliū perso/narum aut ecclesie procuratiōes.seu administratiōes z maxime cū licētia epi q nō ipedit ordinari cū pos/sit talia suscipe ēt ordinatus:alias autē prohibet.54. di.z.d.l.officiales. Et obligatus causa pignoris sz Hosti.nō pōt ordinari ante redditā rōez ar.c.signi ficāte:z.c.cum contra de pigno. Et fm.e.Hosti.filius vsurarij si succedat nisi clamore pris emendet vel hereditatē repudiet.c.tua nos:de vsu. non pōt pro/moueri. Uide aliquid.§.religio.§.xj.

r Atihabitio: vide.§.excō°.5.casu.§.§.43.

r Ecōciliatio: vide.§.cōsecratio.

r Ecōpensatio.§.cōpensatio.

r Ecusari pōt iudex delegatus ex multis cau/sis sz q nō Pa.i.c.accedēs:vt lite nō cte.§. q2 consanguineus aduersarij. 2° q2 cōmensalis illius.3° q2 oriūdus de eius patria.idē de districtu. 4° qñ nō pōt haberi accessus ad iudicē nisi p terrā ini micorum.5° qñ loquit i aure z familiariter cū aduer/sario. 6° qñ ex aliq cā litigabat cū eo hec nō Pa. i.c.i.de iudi.7° qñ ē imperitus z habet assessorez su spectū Pa.vbi.s.Uide.§.iudex.pn.

f ¶ Uª. protestatio de nō tollēdo eū vel acceptādo tol/lat p cōtrariū factū.R.fm Pa.i.c.vnico:de lit. ctest.q nō nisi factū cōtriū tollat ptestationē,ppter itellectuz aliū itermediatū. verbi grā.iterrogat an vera sunt q cōtinētur i libello.R.reus.respōdeo cū ptestatione q nō itēdo ctestari litē p hāc respōsionē:z sic respō det:nō cōtestat per istud factū cōtriū:secus si his di/ctis diceret iudex nō admitto hāc ptestationē:z po stea ipse reus respōdet sine ptestatiōe repetita ad li/bellū.tale factū cōtriū tolleret ptestationē z lis eēt cte stata secus si iterum repeteret z ego ptestor nolle cōte/stari litē.q2 nihil mediū interuenit:pro hoc facit de. vnica:de dolo:z qd dr d cōsti.c.cū.M.z.l.vbi repu gnātia.ff.de re.iur.z i.c.solicitudinem:de appel.vel dic fm Bar.i.l.vnica.C.de litis cte. q quādo pro/testatio respicit vnū z factū aliud. Nā i litis ctesta tione orit quasi cōtractus: ptestatio vero ordinat ad tollēdū istū quasi cōtctū.nō aūt respōsionē z sic sunt diuersa z tūc per factū cōtriū nō tollit.sz qñ cōcernūt vnū protestatio z factū vt puta q2 respondet z pro testat q aio nō respōdēdi.tūc tollit talis protesta/tio per cōtriū factū q2 cōcernit idē factū.

r Egularis dr qui ad viuēdum regulariter ē astrictus.siue sit monachus siue canonicus re gularis.c.qd dei.de sta.mo.siue sit clericus. siue laicus lz laicus nō possit recipi i canonicum.vt i.c.2°.de cōstitu.tm pōt recipi i cōuersum de elec.c.cū ex co.li.6. Regularis sz Pa.i.c.preterea:de pbē.idē ē qd pfessus.vnde qñ canonici siue pbiteri seculares promittūt obediētiā platis suis dñr regulares .i.ca nonice pmittētes:canō.n.grece:latine idē ē q regula: sunt.n.qdā canonici regulares i ecclēis secularib⁹ vt i.c.idēnitatib⁹:d elec.li.6.sic fuit.s.Dñicus vt dr i legenda sua.vnde decipiūtur dicentes q fuit de or/dine canonicorum regularium.

r Religio s3 Jo.an.i noud.super R̃ca. d regu. sumit̃ quadrupliciter: p̃ pro debito cultu veri dei q° ad fidē ꝛ sic cōprehēdit totā christianitē q̄ exhibet cultū vero deo ꝛ bene dr̃ religio christiana. 9 7.di.c.i.ꝛ de diuoꝛ.c.gaudemus:ꝛ d sum.tri.i p̃n. 2° sumit̃ p cultu veri nō solū per fidē.sed etiā per bona opera ꝛ sic sumit̃ actu.2°.erāt Hierosolimis viri religiosi timētes deū:ꝛc.ꝛ sic religio ꝯprehēdit vniuersitatē bonoꝝ christianoꝝ:ꝛ de hoc.16.q.i.iuxta ꝛ.13.q.5.qđ deo:ꝛ de ꝯsti.c.ecclesia.3° sumit̃ p statu clericali qꝛ sunt magis dediti diuino cultui de q° .i.q.3.saluatoꝛ:ꝛ.12.q.i.c.i.4° sumit̃ strictissime pro statu illo qui p emissionē pfessionis regule approbate subijcit se plati iperio totū se dedicās deo ꝛ diuino seruitio quasi holocaustū deo offerens fm.s.T. 2ᵉ.q.186.ar.p̃.post Greg.ꝛ sic religio.pfectionis statū noiat de quo.i.§.3.c.ex multa: de voto:ꝛ.c.ii.c. ꝙ votū.§.p̄nti.li.6.ꝛ talis ppriissime dr̃ religiosus.

s ¶ Regule approbate quib⁹ aliquis dr̃ ppꝛie religiosus sunt quatuoꝛ.p° Basilij.2°.Benedicti.3°.Augustini.4° minoꝝ ꝛ sub istis militant oēs propꝛie religiosi. exceptis cartusiēsib⁹ qui habēt sua statuta p regula ꝛ habētur i magna veneratione ab ecclia. Sub regula sancti Augustini militāt oēs canonici regulares:fratres p̄dicatoꝛes:heremitani:seruite:oꝛdo.s.Brigide:oꝛdo.s.Hieronymi de nouo institutis sub Eugenio.4°.oꝛdo scopetini sub Gregoꝛio institu ti.oꝛdo sancti Joānis Hierosolimitani qui dr̄r vulgariter ferieri.oꝛdo hospitarioꝝ.s.Anthonij.oꝛdo cruciferaroꝝ. Differūt aūt isti oꝛdines iter se p cōstitutiōes varias additas regule ꝛ i habitu. Sub regula Benedicti militāt multi oꝛdines: vt monachi nigri de quibus i de.de sta.mo.c.ne i agro: qui cū essent relaxati refoꝛmati sunt i speciali cōgregatiōe q̄ dr̃ sancte iustine:habētes speciales ꝯstitutiones ꝛ exēptiōes:per Eugeniū.4ᵐ.ꝯfirmatas. Sub eadem militāt cisterciē multipliciter priuilegiati quos beat⁹ Ber.mirabilr̃ dilatauit. Camaldoleñ instituti per beatū Romualdū oꝛdinis vallis vmbrose quos instituit.b.Jo.gualbertus oꝛdinis humiliatoꝝ.oꝛdo du maceñ:celestini quos istituit.b.Petrus de marrone qui fuit papa Celestinus.s3 renūtiauit papatui. oꝛdo montis oliuaꝝ.oꝛdo montis sani seu Siluestri. oēs hi sub regula.b.Benedicti:differūt i cōstitutionibus ꝛ aliqui in habitu:ꝛ oēs tēpoꝛe dn̄i archiepi flo.erāt exēpti nisi siluestrini. Sub regula Basilij q̄ fuit p° militāt oēs monaci oriētalis ecclesie.seu greci. ac etiā i occidēte fratres carmelite aliqn̄ sub eadē fuerūt quibus āno dn̄i.1247.d.Inno.4. addidit quasdā oꝛdinatiōes per moduʒ regule traditas eis a quodā Patriarcha Hierosolimitāo dicto Alberto.extractas ex regula Basilij cū quibusdā additis declarātes ꝛ mitigātes regulā illā p.d.Ugonē cardinalē oꝛdinis p̄dicatoꝝ dictatas: vbi determinat̃ ꝙ abstineāt ab esu carniū ꝛ ieiunēt ab exaltatione .s.crucis vsq3 ad resurrectionē: dn̄icis diebus exceptis ꝛ teneāt silentiū noturno tēpoꝛe ꝛ quedā alia: sub ipa etiā regula Basilij.fratres hermenij vulgariter dicti antiquitus militabāt.nunc aūt dr̃ eos sub regula Augustini viuere. De regula.b.Frāncisci sub qua militāt soli minoꝛes:hic.s.Frāciscus icepit oꝛdinē suū anno dn̄i.1210.sub Inno.3°.ꝛ ꝯfirmatus fuit oꝛdo eius pmisiue:sed solēni approbatiōe ab Honorio successoꝛe post ꝯfirmationē oꝛdinis predicatoꝝ. De regula.b.Frācisci:vide aliqd.i.e.c.§.23.ꝛc̄ si.

t ¶ Nō fm Jo.an.vbi.s.ꝙ dr̃a est iter regulas quatuoꝛ approbatas ꝛ ꝯstitutiōes seu oꝛdinatiōes religiosoꝝ qꝛ regule mutari non possunt ab inferioꝛi a papa de re.iur.c.ois:secus de cōstitutionibus vel oꝛdinationibus q̄ possunt mutari ab his qui habent equalē auctoꝛitatē his qui eas fecerunt ꝛ nō etiā ꝙ Greg.x.de reli.do.c.vnico.li.6.districtius prohibet ne quis nouū oꝛdinē adinueniat:ꝛ dicit Jo.an. intellige:d pluribus simul i eodē collegio habitātibus ꝛ eādē religionē pfitētib⁹:ꝛ nō ꝙ dr̃ de habitu nouo nō sumēdo:alias secularis psona sceptā nō inueniēs ꝛ seoꝛsuʒ habitans nouū hitū sibi assumere pōt vel habitare cū alijs nō sub titulo religiōis. s3 secularis d q° vide.s.excōi°.5.casu.35. Quō status beginaꝝ reprobat̃ ꝛ dātes auxiliū:ꝛc̄.s.excoi°.5.casu.48.

y ¶ Utrū religio propriissime sumpta.fm.4ᵐ.moduʒ positū in principio iportet statū perfectiōis .R̃. fm .s.Tho.2ᵉ.q.185.ar.p̃. ꙗ sic: vbi ait. Id ꝙ cōiter multis conuenit.antonomatice attribuit̃ ei cui per excellentiā cōuenit sicut nomen foꝛtitudinis vēdicat sibi illa virtus q̄ circa difficilima firmitateʒ animi seruat ꝛ tēperātie nomen.vēdicat sibi illa virtus q̄ tēperat maximas delectatiōes.religio aūt est qdaʒ virtus p quā aliquis ad dei seruitiū ꝛ cultū aliquid exhibet ꝛ iō antonomatice dn̄r religiosi illi q se totaliter mācipāt diuino seruitio per paupertatē totaliter abstrahētes affectū a rebus mūdanis ꝛ per votuʒ ꝯtinētie ne ipediat̃ a dei seruitio:ꝛ p votū obedientie vt istruātur ꝛ exercitētur ad pueniēdū ad perfectionē q̄si sub magistro in his q̄ ptinēt ad religionē q̄si holocaustū deo offerētes.holocaustū.n.fm.e.d. .s.2ᵉ.q.102.ar°.3°.ad.8ᵐ.erat sacrificiū qđ totalr̃ cōburebat̃ q̄si totū icēsuʒ.hmōi.n.sacrificiū offerebat̃ deo spālr̃ ad reuerētiā maiestatis ipius ꝛ amoꝛem bonitatis eius:ꝛ ꝯueniebat pfectiōis statui.i iplectiōe ꝯsilioꝝ eius:ꝛ iō totū cōburebat̃ .vt sicut totū aial resolutū i vapoꝛē.totū sursuʒ ascēdebat ita etiā significaret̃ totū hoieʒ:ꝛ oia q̄ ipius sunt:eius dn̄io eēnt subiecta:ꝛ ei eē offerēda. hec ille. vn̄ holocaustum ad sacrificiū ꝯparatū se h3 sicut pfectū ꝛ totū ad partē s3.s.T.2°.q.186.ar.3.6ᵐ.vnde Greg.dicit super Ezechi. Sūt qdā q nihil sibimetipsis reseruāt. s3 sensuʒ.linguā:vitā atq3 substātiā quā ceperūt.oīpotēti deo imolāt. In hoc aūt pfectio hois ꝯsistit ꙗ totalr̃ deo inhereat:ꝛ s3 hoc religio perfectiōis statum noiat.

Et q̄uis exhibere aliqñ aliqua ad cultū dei sit de ne
cessitate salutis vt dr̄.ō.ꝟ.charitas.§.17.ſt tñ ⁊ sua
totalr̄ diuino cultui deputare ad pfectionem ptinet.
Notādū tñ ꝙ q̄uis religio noiet statū pfectiōis vt
dictū ē.tñ nō oꝫ ꝙ qlꝫ existēs i religione sit pfectus.
sꝫ ꝙ ad pfectionē tēdat: religio.n.dicit pfectionē ex
intentiōe finis ⁊ sic debet itēdere perfectionē.vnde
Orige.sup illud Mat.19.si vis pfectus eē:⁊c. dicit
ꝙ ille q mutauit ꝑ diuitijs pauptatē vt fiat pfectus
nō eo ipo tēpore quo tradidit bona sua pauperib⁹
fiet oio perfectus. sꝫ ex illa die icipiet speculatio dei
adducere eū ad oēs virtutes ⁊ hoc mō in religione
nō oēs sunt pfecti.sꝫ quidā icipiētes qdā ꝓficiētes ⁊
aliqñ dñr penitētes iq̄ᵐ excidūr occasiōes peccādi.b

4 ¶ Ex q̄ religio ē status pfectiōis q̄rit vtᵐ reli/ f ille.
giosus teneat eē pfectus.R.ſm.s.T.2ᵉ.q.184.ar.2ᵒ.
ꝙ pfectio vite christiane in charitate ꝯsistit.iportat
aūt pfectio quādā vlitatē q: vt dr̄.3ᵒ.phy.pfectū est
cui nihil deest.pōt ergo triplex perfectio cōsiderari.
vna quidē absoluta q̄ attēdit nō solū ſm totalitatē
ex pte diligētis. sꝫ ēt ex pte diligibilis ꝑ vt.s.tm̄ de⁹
diligit quātū diligibilis ē ⁊ talis pfectio nō ē possi/
bilis alicui creature.sꝫ ꝯpetit soli deo in quo bonuꝫ
itegralr̄ ⁊ eēntialr̄ iuenit.Alia est pfectio q̄ attēdit
ſm totalitatē absolutā ex pte diligētis put.s.affect⁹
ſm totū suū posse semper actualr̄ tēdit in deū ⁊ ta/
lis perfectio est patrie ⁊ nō vie.vt.ō.ꝟ.charitas.§.
24.3ᵃ est pfectio q̄ neqꝫ attendit ſm totalitem ex pte
diligibilis neqꝫ ſꝫ totalitatē ex pte diligētis qᵐ ad
hoc ꝙ semper ferat i deū sꝫ quātū ad hoc ꝙ exclu/
dāt ea q̄ repugnāt motui dilectiōis i deū sic Aug.
dicit i li.83.q.ꝙ venenū charitatis ē cupiditas ⁊ ta
lis pfectio pōt i hac vita haberi duplr̄.vno⁹ iqᵐ ab
affectu hois excludit oē illud qđ ꝯriat charitati sic
pctm̄ mortale:⁊ sine tali pfectiōe charitas non pōt
eē.vñ ē i oibus de necessitate salutis. Alio⁹ inq̄tum
ab affectu hois excludit nō solū illud qđ ē charitati
ꝯriū.sꝫ ēt oē illud ꝙ ipedit ne affectus mētis totalr̄
dirigat i deū sine qua pfectiōe charitas eē pōt.pu/
ta i icipiētibus ⁊ ꝓficiētibus:pfectio igit religiosi ē
totalr̄ deo per affectū iherere remotis his q̄ ab hoc
ipediūt. Et ad hanc pfectionē ſꝫ.s.Tho.2ᵉ.q.186.
ar.2ᵒ. reqrit ꝓ eēntialr̄ pfecta obseruatio pceptoꝝ:
2ᵒ dispositiue obligatio ad tria vota. 3ᵒ cōplectiue
obseruatio ꝯsilioꝝ:hāc pfectionē nō ꝓfitēt religiosi
sꝫ ꝓfitētur se tēdere ⁊ itēdet istā vt illā possint ꝯseq.
sic ēt q itra scholā nō ꝓfitet se scientē sꝫ studentē ad
sciaꝫ acquirēdā sic Aug.dicit.8.de ciui.dei. Pita/
goras noluit se ꝓfiteri sapientē.sꝫ sapiētie amatorē
⁊ iō religiosus nō est trāsgressor ꝓfessionis si nō sit
ꝓfectus.sꝫ solū si ꝯtēnat ad pfectionē tēdere: ille.n.
q statū religionis assumit nō tenet habere pfectam
charitatē.sꝫ tenet ad hoc tēdere ⁊ operam dare vt
habeat charitatē perfectā ⁊ ex ꝯsequēti nō tenet ad
hoc vt illa ipleat q̄ ad pfectionē charitatis ꝯsequū/
tur:tenet aūt vt ea iplēda itēdat ꝯ qđ facit ꝯtēptus
vñ nō peccat si ea ꝑtermittat.sꝫ si ea ꝯtēnat.hec ille.
